



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste


Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. XXII. De servitute, oratione, & sacerdotio Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

sed sufficere quod existat in præsencia premi-
antis : Ratio est, quia mer tum non est causa
physica, sed moralis : ut autem causa moralis
moveat, sufficit quod sit in præsencia & in-
tentione premiantis: unde ut Christus dicatur cau-
sa meritoria gratiæ collatæ antiquis Patribus,
sufficit quod Deus ab æterno ejus merita in tem-
pore futura præviderit, & eorum intuitu motus
& excitatus fuerit ad conferendam gratiam Pa-
tribus antiquis & aliis qui ante Incarnationem
& Christi adventum justificati sunt.

Querunt hic aliqui, an Christus etiam meruerit
gratiam collatam Angelis & primis parenti-
bus in statu innocentie? Sed de hoc fuse egimus
supra disp. 1. art. 4. Unde ad hunc locum Le-
ctorem remittimus.



DISPUTATIO XXII.

De servitute, oratione, & sacerdotio
Christi.

Ad quæst. 20. & duas sequentes.

Postquam D. Thomas egit de pertinentibus
ad virtutem Christi, quantum ad operatio-
nem & meritum ejus, disserit de his quæ
Christo conveniunt per comparisonem ad Pa-
trem, & primo de subjectione illius ad Patrem,
secundo de ejus oratione, tertio de ipsius sacer-
dotio, de quibus etiam in hac disputatione a-
gendum. Sed quia Christus non fuit tantum Sa-
cerdos, sed etiam Rex, non solum de sacerdotio
Christi, sed etiam de regia ejusdem potestate &
dignitate, breviter disseremus.

ARTICULUS PRIMVS.

An Christus ut homo, sit verè & propriè
servus Dei?

Negant Vazquez, Beccanus, Hurtado, Mar-
tinonius, & alii ex Recentioribus; affirmat
verò Thomæ cum S. Doctore, locis infra refe-
rendis, & ex Patribus Societatis Suarez, Valen-
tia, Ragusa, & alii. Pro resolutione

Diligenter observandum est, duplicem esse
servitutem, aliam naturalem, aliam legalem.
Naturalis ea est quæ in natura fundatur, & quæ
aliovis ratione productionis v.g. est inferior al-
teri, & ei subiectus, teneturque illi obsequi ac
obedire; & hoc genere servitutis filius est sub-
iectus patri, & qualibet creatura Deo, quia rati-
one creationis est sub dominio Dei, & Deus
potest facere in illa, de illa, & per illam, quid-
quid voluerit; & si talis creatura sit rationalis,
tenetur Deo subijci, præceptis ejus parere, i-
psamque tanquam superiorem dominum colere
& revereri: unde Angeli & primi parentes in
statu innocentia, fuerunt servi Dei hoc genere
servitutis. Servitus legalis ex Augustino 16. de
civ. cap. 9. est illa quæ non à natura, sed à lege
introducitur, & hæc est pœnalis quædam con-
ditio eorum qui aut bello capti, aut venditi,
subijciuntur domino alterius, juxta illud 2. Pe-
tri 2. *à quo enim quis superatus est, huius & servus est.*
Et hæc ratio est quæ peccati dicitur servus pec-
cati & diaboli, quia ab eo superatus est, venun-
datus sub peccato, ut loquitur Apostolus.

A Notandum est insuper, inter hæc duo genera
servitutis, hoc præcipue interesse, quod
quod ille qui est servus servitutis legalis, non
sub alterius dominio, ut cum eo, neque in bonis,
neque in honoribus, neque in sede communicat;
unde Arist. 1. Politic. cap. 3. dicit servum esse
illum, qui non est gratia sui, sed alterius. Servus
verò naturalis non excludit jus ad communi-
candum in bonis & honoribus, ut patet in filiis
qui hæc in servus naturalis patris, habet eam-
dem jus ad communicandum cum illo in bonis & hono-
ribus. Sancti etiam, licet verè & propriè
servi Dei (& hoc nomine se insigniri gloriatur
D. Paulus, pluries repetens in suis Epistolis, *Paulus servus Iesu Christi*) quia tamen sunt filii Dei,
per gratiam, cum eo in bonis communicant, jux-
ta illud Apostoli ad Rom. 8. *Si filii & heredes.*
His præmissis, facilis erit resolutio difficultatis
propositæ.

§. II.

Triplici conclusione difficultas proposita
resolvitur.

Dico primò: Christus ut homo, non est
dici potest, servus Dei servitutis legalis.

Hæc conclusio ex fundamentis jam statim
manifestè colligitur, nam ut diximus in secun-
do notabili, qui est servus servitutis legalis,
sub alterius dominio constituitur, ut cum eone-
que in bonis, neque in honoribus, neque in sede
communicet: Sed Christus ut homo, rationis
nitionis hypostaticæ, communicat in bonis cum
Patre, cum ratione illius habeat jus ad gratiam
& gloriam, ac alia dona (supernaturalia. Com-
municat etiam cum illo in honoribus & digni-
tatis: Sed humanitas Christi, propter consub-
stantionem cum Deo, eodem cultu adoratur ac
Deus; & sicut mulier matrimonio Regi con-
iuncta, Regina appellatur; ita humanitas Chri-
sti hypostaticè Deo unita, qui est Rex regum,
Dominus dominantium, dicitur & est regina
Domina, juxta illud Pl. 44. *Aspexit Regina à decem-
tuis in vestitu deaurato.* Item Christus ut homo,
sed cum Patre communicat, cum ad dexteram
ejus in celis sedeat: Ergo nec est, nec dici potest
servus Dei servitutis legalis.

Dico secundò, Christum ut hominem esse
verè & propriè servum Dei, servitutis naturali-
s.

Probatur primò ex Scriptura, in qua Christus
vocatur sapiens servus Dei; *Isaia 42. Ecce servus
meus, suscipiam eum, &c.* Et cap. 53. *In servitum
justificabit ipse justus servus meus multos. Zachar. 3.
Adducam servum meum orientem.* Id ipsum in
testamento traditur Matth. 12. ubi Evangelista
locum ex *Isaia adductum interpretatur de Chri-
sto.* Et cap. 11. Christus alloquens Patrem dicit
*Confiteor tibi Pater, Domine celi & terræ. Chri-
stus mine celi & terræ, omne quod factum est à Deo,
& ipsum Christum, in quantum hominem, com-
prehendi, docet Athanasius lib. 3. contra Arri-
anos. At non est cur in metaphorico sensu illa
testimonia accipiantur, ut Vazquez contendit,
tum quia ex sensu rigorofo nullum sequitur
absurdum, ut constabit ex infra dicendis, tum
etiam quia Ecclesiæ Patres mox referendi, à qui-
bus legitimus Scripturæ sensus hauriendus est,
illa in rigore acceperunt: Ergo Christus,
quantum ad Deum, verè & propriè est servus Dei
servitutis naturali.*

Probatur secundò ex SS. Patribus, Christo in
homini propriam servitutem tribuentibus: Ita
Athanasius serm. 3. contra Arrianos, ubi vocat
Christum

facti, conditi, servi, & filii referens, sic habet: Omnes in unum diuines, ratione humanitatis, bene & proprie competunt. Chrysostomus ad Philip. 2. homo in forma dei perfectus est: ita in forma servi, perfectus est servus. In eadem sententia est Cyrillus lib. 2. thesauri cap. 15. Hilarius lib. 1. de Trinit. Hieronymus ad illa verba Isaia 42. Ecce servus meus. Ambrosius epist. 47. ac demum Augustinus epist. 178. prope finem, ubi sic habet: In qua infirmitate humanitatis, non solum subditum, sed etiam servum, evidenter sime consistitur. At horum Patrum testimonia in sensu metaphorico accipi, non permittunt illa verba, bene & proprie, quibus Athanasius utitur, nec ista, perfectus servus, quae Chrysostomus usurpat; nec adverbium, evidenter, quo usus est Augustinus: Ergo juxta Ecclesiae Patres, Christus ut homo est servus Dei, servitute vera & propria, non quidem legali, sed naturali.

6. Probatur tertio ex D. Thoma, qui variis in locis aperte docet nostram sententiam: nam hic qu. 20. art. 1. ad 2. sic ait: *Quamvis non proprie dicitur quod natura sit domina, vel serva, potest tamen proprie dici, quod qualibet hypostasis vel persona sit domina, vel serva, secundum hanc vel illam naturam; & secundum hoc nihil prohibet Christum dici Patri subditum, vel servum, secundum naturam humanam.* Ubi S. Doctor eodem modo loquitur de servitute, ac de ratione creaturae in Christo; & docet quod utraque convenit illi, non simpliciter, sed cum addito, scilicet ratione naturae assumptae. Et infra qu. 23. art. 4. cum sibi tertio loco hoc argumentum objecisset: *Christus secundum quod homo est servus: sed dignius est esse filium adoptivum, quam servum: ergo magis magis Christus, secundum quod homo, est filius adoptivus.* Respondet: *Ad tertium dicendum quod esse creaturam, & etiam servum, vel subiectio ad Deum, non solum respicit personam, sed etiam naturam, quod non potest dici de filiatione, & ideo non est similis ratio.* Quibus verbis hanc differentiam inter servitutum & adoptionem constituit: quod quia servitus respicit naturam, potest optime dici de Christo, ratione humanitatis assumptae; e contra vero quia filiatione non respicit naturam, sed personam, adoptio non potest attribui Christo, nec ille potest dici filius adoptivus Dei, licet ejus servus appellari possit. De quo susus disp. sequenti. Similia habet in 3. dist. 10. qu. 2. art. 1. qu. 3. ad 3. & dist. 11. qu. 1. art. 2. ad 2. & ad Annibaldum dist. 10. qu. unica art. 3. ad 2.

7. Probatur quarto conclusio hac ratione efficaci, desumpta ex D. Thoma hic qu. 20. art. 1. Habenti aliquam naturam conveniunt ea quae sunt propria illius naturae: Sed Christo vere & proprie convenit natura humana: Ergo conveniunt Christo quae sunt naturae humanae propria: Sed natura humana ex sui conditione habet triplicem subjectionem ad Deum, unam secundum gradum bonitatis, convenientis Deo per essentiam, naturae autem humanae per participationem; aliam quantum ad Dei potestatem, prout scilicet subiecta est operationi divinae dispositionis; tertiam quoad operationem, prout obedit illius mandatis: Ergo Christo ut homini haec triplex subiectio convenit, & consequenter vera & propria servitus naturalis ad Deum.

8. Confirmatur & magis illustratur haec ratio: Servitus naturalis ad Deum fundatur in depen-

dentia creaturae rationalis ab ipso, in esse, fieri, & conservari, & ordinatione ad illum tanquam ad ultimum finem: Sed Christus, quatenus homo, vere & proprie est creatura rationalis, dependens a Deo in esse, fieri, & conservari, & ad ipsum tanquam ad ultimum finem ordinata: Ergo est vere & proprie servus Dei, servitute naturali.

9. Respondet Vazquez: rationem creaturae dependentis a Deo, non esse fundamentum adaequatum servitutis verae & propriae, sed adjuncta negatione communicationis cum Deo, in bonis, honore, & sede: unde cum hac negatio Christo ut homini non conveniat, non est vere & proprie servus Dei, servitute naturali, quamvis ab illo in esse, fieri, & conservari dependeat, & ad ipsam tanquam ad ultimum finem ordinetur.

Addit Hurtado, dependentiam creaturae rationalis a Deo, non fundare servitutum veram & propriam, nisi addatur negatio physicae conjunctionis cum ipso: unde cum hac negatio humanitati Christi non competat, Christus ut homo, non est, nec dici potest, vere & proprie servus Dei naturalis.

10. Sed neutra solutio satisfacit, potestque hac ratione confutari. Per hoc solum quod creatura rationalis sit Dei, ita ut possit illi uti in quocumque usum, absque injuria, salvatur quidquid ad servitutum naturalem requiritur: At per hoc quod dependeat a Deo in esse, fieri, & conservari, & ad ipsum tanquam ad ultimum finem ordinetur, salvatur caliter esse Dei, ut possit de illa facere quidquid sibi placuerit, absque injuria creaturae: Ergo per hoc solum salvatur ex parte Dei ratio perfecta dominii, & ex parte creaturae, propria ratio servitutis, tamen communicet cum Deo in bonis, honore, & sede; vel physice illi conjungatur.

11. Deinde prima solutio rejicitur: Licet negatio communicationis cum domino in bonis, honore, & sede, ad servitutum legalem requiratur, non exigitur tamen ad servitutum naturalem, ut notabili secundo ostendimus: Ergo licet hac negatio, Christo ut homini non competat, non potest colligi ipsum non esse servum Dei, servitute naturali, sed duntaxat servitute legali.

12. Confirmatur: Servitus legalis excludit amicitiam cum domino, filiationem adoptivam, & jus ad domini hereditatem; & tamen servitus naturalis ad Deum, cum amicitia ad ipsum compatitur, & cum filiatione adoptiva, jureque ad hereditatem: Ergo pariter quamvis servitus legalis petat negationem communicationis cum domino in bonis, honore, & sede, servitus tamen naturalis hujusmodi negationem non exigit.

13. Confirmatur amplius: Cum servitute legali non compatitur relatio maternitatis, mater enim nequit esse serva filii, servitute legali, & tamen servitus naturalis ad Deum, cum Dei maternitate comparatur; etenim Beatissima Virgo mater est Christi, & simul illius serva, servitute naturali, ut ipsa met de se profertur Luca 1. dicens: *Ecce ancilla Domini*: Ergo idem quod prius.

Ex his confutata manet altera solutio, licet enim negatio physicae conjunctionis cum domino, ad servitutum legalem a Philosopho definitam requiratur, illam tamen etiam ad servitutum naturalem exigi, sine ullo fundamento asferitur: Ergo etiam humanitati Christi talis negatio non conveniat, non licet inferre Christum non esse servum Dei servitute naturali.

15. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio : A Justitia commutativa sumpta philosophice, & prout ab Aristotele fuit cognita & definita, petit esse ad alterum, non solum alicuius nature, sed etiam alicuius suppositi, ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 8. art. 2. & tamen hoc non obstante, admittimus in Christo justitiam commutativam respectu Dei, solum ratione diversarum naturarum, cum unitate suppositi, vel saltem ex hoc principio ab ipso non relegamus strictam & rigorosam justitiam, conditionem illam, prout extenditur ad distinctionem suppositorum. Limitantes ad puras creaturas : Ergo pariter, quamvis servitus legalis à Philosopho definita, petat negationem conjunctionis physice inter servum & dominum, possumus tamen admittere veram servitutem naturalem ad Deum, etsi talis negatio non addit, subindeque non licet colligere, Christum non esse verè & propriè servum Dei servitute naturali, ex eo quod ejus humanitas physice & substantialiter Deo conjuncta sit.

Dico tertio, Christus non debet absolute & sine addito dici servus Dei, sed cum addito & determinatione, videlicet in quantum homo.

16. Probatur primò : Hæc propositio, *Christus est creatura*, non est simpliciter & absolute concedenda, sed solum cum addito, videlicet in quantum homo, ut docet D. Thomas supra quæst. 1. 6. art. 8. Ergo neque ista, *Christus est servus Dei*. Consequentia patet ex paritate rationis, nam sicut esse creaturam nequit competere supposito divino, nisi dumtaxat ratione naturali & humanæ, sic etiam servitus repugnat supposito divino, & illi tantum convenit ratione nature assumptæ.

17. Probatur secundò : Quæ indifferenter competere possunt & toti & parti, quando parti tantum conveniunt, non prædicantur de toto simpliciter & absolute, sed cum determinatione, Athiops enim v. g. non dicitur absolute albus, sed cum addito, secundum dentes : Atqui subiectio & servitus possunt toti & parti competere : Ergo cum solum conveniant Christo ratione partis, scilicet nature humanæ, non debent simpliciter & absolute prædicari de ipso, sed tantum cum addito & determinatione, videlicet in quantum est homo.

S. II.

Solvuntur objectiones.

18. Contra primam & tertiam conclusionem nullum militat difficile argumentum, sed contra secundam arguunt Vazquez, Delugo, Hurtado, Martinus, & alii Recentiores ex auctoritate Concilii Francofordiensis, & Adriani Papæ, qui Felicem Episcopum Urgelitanum, & Elipandum Archiepiscopum Toletanum damnant, & acriter reprehendunt, eo quod Christum servum & filium adoptivum esse dicerent. Nam Pontifex in epistola præmissa eidem Concilio, editionis Colonienfis, pag. 142. columnâ 2 sic habet : *Tanta vos temeritate dementia deludit... Adoptivum eum filium, quasi purum hominem calumniati humane subiectum, & (quod pudet dicere) servum eum, impij, & ingrati tantis beneficiis, liberatorem nostrum non pertimescitis venenosa sauce suffurrare. Cur non reverentini queruli obtricitatores, Deo odibiles, illum servum nuncupare, qui vos de servitute diaboli liberavit ? Et Concilium in epistola ad Episcopos Hispania, non longè à fine, alloquens Felicem & Elipandum : *Intelligite (inquit) in hac professione vestra, duplices diabolice fraudis latuisse dolos... dum & Dominum nostrum**

A Iesum Christum, quem Deum colimus & adoramus, servum prædicatis & adoptivum... Concilium hoc est scandalum inter paganos gentes, ut dicitur per illum ad præv. sumus, non ille novum obsequium nos per illum à servitute liberati, non ille servus servus.

Hæc testimonia adeo visa sunt, Adriani manifesta, ut Vazquez dixerit, damnationem esse dicere Christum esse servum, & Hurtado aliter re ausus fuerit, sententiam negantem Christum homini veram propriamque servitutem, deum tam esse ab Ecclesia.

Verum utraque censura temeraria est, ut patet ex prædictis Pontificis & Concilii testimoniis exponi possunt. In primis enim dicitur, Concilium Francofordiense, cum à Christo ut homine relegant servitutem loqui de servitute pura, conveniente Christo ratione personæ, & multiplicante in illo supposita, qualem Felix & Elipandus ipsi tribuebant, ut colligitur ex eo quod illi hæretici eodem modo, & in eodem sensu assererent, Christum esse servum ac filium adoptivum : At filium nem adoptivum ponebant in Christo, ratione suppositi creati, & multiplicantem in Christo supposita, subindeque in sensu Nestoriano, respicitur, sequenti art. 1. §. 1. fuit ostendendum. Ergo & servitutem. Unde Damascenus lib. 3. de fide, cap. 2. 1. *si autem qui servum eum dicunt, unum Christum instar Nestory in duas div. dant.*

Secunda solutio est, quod excluditur prædictis testimoniis à Christo servitus, quæ est per culpam, non autem servitus naturalis ad Deum, ratione humanitatis assumptæ. Quod verò hæc etiam interpretatio sit legitima, constat ex epistola Concilii, ubi columnâ 12. sic habetur : *ergo Deus verus, quomodo tunc potest adoptivus esse vel servus ? Deum enim nequaquam auctori consensum, vel adoptivum, & si cum propheta servum nominasset, non tamen ex conditione servitutis, sed ex humilitatis obedientia, quia factus est Patri obediens usque ad matrem, Papæ Leone dicens, assumpta est a Matre Domini natura, non culpa, creata ex forma servi, sine conditione serviti. Ubi in Christo admittitur servitus ex humilitatis obedientia, quæ est propria creatura, & humanitatis, sed negatur servitus per culpam. Unde columnâ sequenti Concilium sic prosequitur : *sed & hoc vobis vobis audire, an Adam primus humani generis ex terra virgine creatus, liber esset conditus, servus ? Si servus, quomodo tunc imago Dei ? Si liber, quare & Christus quoque non ingenuus de Virgine meliori quidem terrâ, etiam animatâ & immortali, Spiritu Sancto operante, factus est homo, dicens epistola, factus est primus homo de terra terrenus, secundum de celo celestis ? Si terrenum, liberum constituitur, quare non multò magis celestem, liberum constituitur ? Unde Adam fuit servus factus, nisi ex peccato, appropinquante Petro attestante, Qui peccatum facit, servus est peccati ? Christus autem non fecit peccatum, & tunc servus non est peccati, sed magis liberator & redemptor nostrum, qui servi sunt peccati. Quæ verba manifestè excludunt servitutem peccati à Christo, non tamen servitutem naturalem ad Deum.**

Nec valet quod ait Vazquez, Elipandum & Felicem, non fuisse adeo dementes ac insanos, nec tam impudentes & blasphemos in Christum, ut ei peccati servitutem tribuerent. Nam Pontifex satis denotat impudentiam horum hæreticorum, dum ait loco in objectione adducto

10. Et quæ pudet, servum non p. rimeforis, &c. Concilium vero eorum demeritiam aperte declarat, dum in Sacro syllabo sic ait: *Nisi ad hæc fœderata respiciamus, &c.* Et in epistola ad Episcopos Hispaniæ: *Tam ridicula est, tam frustra bujus sententia: postea apud vos, &c.* Quomodo ergo Vazquez audeat hæreticos illos à dementia & impudentia excusare, quos Pontifex & Concilium adeo manifestè impudentes ac vesanos fuisse asserunt? Non est novum in hoc Theologo, ingenia hæreticorum defendere, nam etiam in p. disp. 37. cap. 2. & 3. defendit Anomæos, & concendit Eunomium non fuisse ita amentem, ut comprehensivam Dei notitiam sibi arrogare voluerit, inavultque hunc hæreticum ab infania excusare, quam magnum Chryostomum ab errore absolvere, ut in Tractatu de visione beata ostensum est.

11. Tertia solutio est, Adrianum, & Patres Concilii Francofordiensis, locis citatis, solum voluisse excludere à Christo servitutem legalem ad homines vel Angelos, aut enim Concilium, in epist. ad Episcopos Hispaniæ, Felicem & Eupandum alloquens: *sed forte servum hominis eum fuisse dicitis? An ne Angelorum eum servum vultis dicere?* Ex quibus constat relegari ex mente Concilii & Pontificis à Christo ut homine triplicem servitutem, nimirum servitutem puram, ratione suppositi creati, servitutem peccati, & servitutem legalem; non autem servitutem naturalem ad Deum, ratione solius naturæ assumptæ, cum unitate suppositi.

12. Dies, Postquam Concilium exclusit à Christo servitutes recensitas, hæc verba subiecit: *Quid dicitis de Deo Patre, qui eum in Baptismo & transfiguratione filium nominavit, non servum?* Ergo juxta Concilium, etiam servitus ad Deum Christo ut homini non convenit, ac proinde nec servitus naturalis.

13. Respondeo respectu Dei non solum dari in creatura rationali servitutem naturalem in dependentia fundatam, sed etiam servitutem ex peccato contractam; etenim ratione peccati homo novo titulo Deo ut iudici subicitur, Deusque jus novum contra peccatorem acquirit, illum in penam peccati puniendi, imò & ipsum annihilandi: Cum ergo Concilium negat Christo ut homini servitutem ad Deum, non est intelligendum de servitute naturali super creationem fundata, sed de servitute ad Deum, titulo peccati contracta. Vel secundò responderi potest loqui de servitute ad Deum, ratione suppositi, impossibili cum unitate personæ; illamque in Christo non reperiri, rectè probat Concilium ex eo quòd Pater in Baptismo, illum filium nominavit (intellige naturalem) nam cum ista filiatione non fiat servitus ratione suppositi, pugnans cum personæ unitate.

14. Contra hæc solutionem dux fieri possunt instantiæ. Prima est, si Concilium relegans servitutem à Christo explicari possit de servitute ratione suppositi, vel legali, aut de servitute peccati, etiam cum excludit filiationem adoptivam à Christo, poterit absque inconvenienti exponi, vel de filiatione adoptiva per peccatum amissibilem, vel de adoptione personarum multiplicante, vel de adoptione legali: Sed hoc dici nequit, ut patebit ex dicendis disp. sequenti: Ergo nec illud.

15. Secunda est: Si Christus servus esset ratione nature humane, servitute aliqua propria, malè

A Adrianus in epistola ad Episcopos Hispaniæ supra citata, ad explicanda testimonia Scripturæ, quibus servitus Christo tribuitur, recurreret ad sensum allegoricum, aut metaphoricum; hoc enim necesse non erat, si aliquod genus veræ & propriæ servitutis in Christo agnovisset, quia poterant hujusmodi testimonia de illo explicari in sensu vero & proprio.

B Ad primam instantiam respondeo negando Sequelam, & paritatem: Ratio verò discriminis inter servitutem, & filiationem adoptivam est, quia Concilium dum loquitur de filiatione adoptiva, utitur propositionibus excludentibus omnem modum adoptionis, asserens nullo modo, & nullâ ratione, & significatione, esse filium adoptivum; quæ si in rigore sumantur, omnem modum adoptionis à Christo excludunt: dum autem servitutem à Christo ut homine relegat, hoc modo loquendi non utitur, sed propositionibus simplicibus negativis, quæ non petunt ita universaliter accipi, ut omnem modum servitutis excludant, ut supra ostensum est.

C Ad secundam nego etiam Sequelam: licet enim rei veritate attentâ, melius & consultius esset testimonia Scripturæ quibus servitus Christo tribuitur, in sensu proprio, quam metaphorico, vel allegorico, interpretari; utilitate tamen consultâ, convenientius fuit Pontificem in sensu metaphorico quam proprio illa exponere; eò quòd tunc temporis Hispani ad quos epistolam suam dirigebat, nomen servi erat exosum, propter duram servitutem quæ à Mauris opprimebantur: unde ne Hispani scandalizarentur, maluit Pontifex ad sensum metaphoricum recurrere, quam prædicta testimonia de servitute naturali, conveniente Christo ratione naturæ assumptæ, interpretari.

D Objiciunt secundò Adversarii plura sanctorum Patrum testimonia, quibus servitutem Christo ut homini negare videntur. Ita Athanasius oratione 3. contra Arianos, Chryostomus homil. 13. in epistola ad Hebræos, Eusebius Emilienus homil. 6. de Paschate, Cyrillus in expositione Symboli, Theodoretus in impugnatione sexti anathematismi Cyrilli, ac denique Leo I. ferm. 3. de Nativit. ubi sic ait: *Assumpta est de matre hominis natura, non culpa: creata est forma servi, sine conditione servili.*

E Verùm hæc soluta manent ex dictis; nam eo planè modo hæc testimonia intelligi & explicari debent, quo ea quæ ex Adriano & Concilio Francofordiensi retulimus, nimirum de servitute ratione suppositi, de servitute legali, & de servitute peccati; hæc enim tria genera servitutis intendunt sancti Patres à Christo excludere, non autem servitutem naturalem ad Deum, ratione solius naturæ, cum unitate suppositi.

F Objiciunt tertio: De ratione servi est subalterius potestate constitui, & cum illo in bonis, in honore, & sede non communicare; Sed Christus, etiam ut homo, cum Deo in his omnibus communicat, ut supra ostensum est: Ergo propriè servus non est. Item servus debet esse persona diversa à domino: At Christus ratione unionis hypostatice, est persona eadem cum Deo: Ergo non est ejus servus, etiam servitute naturali.

G Ad hæc etiam patet solutio ex supra dictis, respondetur enim ad servitutem legalem requiri negationem communicationis in bonis, in honore, &



re, & sede, non autem ad servitutem naturalem. Huic enim non repugnat servum communicare cum domino in iisdem bonis, dummodo inferiori modo communicet: humanitas verò Christi, licet cum Deo in iisdem bonis communicet, non tamen ad æqualitatem cum illo, sed modo inferiori participat bona, honorem, & sedem ejus; nam bona illa Deo competunt per essentialitatem, humanitati verò Christi, per gratiosam communicationem.

33. Ad illud quod subditur, nimirum servum debere à domino distingui personaliter, dicendum est, hoc quidem exigi in humanis, ubi non potest reperiri diversitas naturarum, cum unitate suppositi, in Christo tamen posse reperiri veram servitutem ad Deum, ratione diversarum naturarum, cum unitate suppositi; quemadmodum in illo, ob solam diversitatem naturarum, reperitur obedientia, oratio, satisfactio rigorosa, & iustitia commutativa ad Deum, licet hæc in humanis, non solum naturarum, sed etiam suppositorum diversitatem requirant.

ARTICULUS II.

An Christus, ut homo, in hac vita mortali, verè & propriè oraverit, & etiam nunc orat in celo?

S. I.

Duplici conclusione utraque difficultas breviter resolvitur.

Dico primò: Christus ut homo verè oravit hæc in vita mortali, nec solum pro aliis, sed etiam pro se.

34. Prima pars hujus conclusionis ex variis Scripturæ locis apertè colligitur: dicitur enim Luc. 6. de Christo: *Exit in montem orare, & erat pernoctans in oratione*. Mat. 14. *Dimissa turba ascendit in montem solus orare*. Marci 14. *Procidit super terram, & orabat ut si fieri posset, transiret ab eo hora*. Joann. 17. *Pater venit hora, clarifica Filium tuum*. Denique ad Hebræos 5. *Qui in diebus carnis sue preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia*. Hæc autem propriè intelligenda sunt, cum nihil cogat ad improprium sensum recurrere, & oratio Christum ut hominem non dedeceret, sed potius ei maximè conveniret. Primò, ut Deo hunc religionis cultum exhiberet. Secundò, ut orandi nobis exemplum præberet. Tertio, ut modis omnibus salutem nostram operaretur, merendo, satisfaciendo, & impetrando. Quarto, ut patrem suum omnibus bonis authorem ostenderet. Quintò, ut verum Dei filium se demonstraret, Patrem suum naturalem invocando, & omnia quæ efficaciter à Deo postulabat impetrando. Unde Joann. 11. ante Lazari suscitacionem dicebat: *Pater gratias ago tibi, quoniam exaudisti me. Ego autem sciebam quoniam semper me audis, sed propter populum qui circumstat, dixi: ut credant quia tu me misisti*. Denique aternæ Dei ordinatione constitutum fuit, ut multa per Christum non aliter fierent quàm interventu orationis, & per viam impetrationis: unde sicut propter homines redimendos necessariū fuit il-

lum mori, ita propter aliqua obtinenda, necesse fuit illum orare. Ex quo probatur tamen hæc conclusio, quæ asserit Christum non solum pro aliis, sed etiam pro se orasse. Unde Thomas hic quæst. 21. art. 3. in corp. licet hæc in humana natura quadam bona Christus habuerit, hæc tamen non solum pro aliis, sed etiam pro se orasse, ut patet Mat. 26. & Joann. 11. ita etiam ut Patrem autorem recognosceret, ab eo orando petebat, ut sibi decerant secundum humanam naturam, partem corporis, & alia huiusmodi.

Dico secundò: Christus etiam nunc in celo existens, verè & propriè orat, nobis divitiarum necessaria postulando. Est contra Medinam, quem Beccanum, Delugo, & alios, asserunt Christum in celo orare tantum interpretari, quatenus ejus orationes sive in hac vita mortali, & merita ac passiones sunt in conspectu memoria Dei, & à Christo præsentè, sedente ad dexteram Patris, exhibentur illi quodammodo objective, Deumque sollicitant ad ea, quæ eundem id, quod promerita sunt. Est contra Thomam in 4. dist. 15. quæst. 4. art. 6. quæst. 2. ad 1. Abulenſis in cap. 14. Matthæi quæst. 14. Tellei in c. 16. Joann. annot. 35. Suarez hic dist. 4. sect. 2. & Martinoni disp. 15. sect. 1.

Favent SS. Patres: Iustinus enim in libro constitutionum ad Orthodoxos, quæst. 105. sic dicitur: *Si enim carnis imbecillitas superior ratione effectus, tamen ut confessionis nostra Pontificis pro nobis loquitur & rogat, quanto magis carnis corporis imbecillitas erat obnoxius, magis clamore & firmo, atque lacrymis egerebat, cum quibus precor qui se liberare à morte posset, offerret?* Ambrosius in cap. 8. epistolæ ad Romanos: *Christus resurrexerat semper causus nostras agit apud Patrem, causa postulatio contemni non potest. quis in dextera Patris Gregorius magnus in 5. Psalmum Penitentem paulò post initium: Quotidie Christus orat in Ecclesia, de quo restatur Apostolus Paulus, quia sicut ad dexteram Patris interpellat pro nobis. Denique Bernardus serm. de Nativitate Mariæ de oratione Christi nunc in celo existentis hæc habet: *Ad Patrem verebaris accedere: solo auditu territus, ad sollicitudinem dedit tibi mediatorem. Quis non quæsitalem Patrem Filium talis obtineat? Exaudietur autem que pro reverentia sua: Pater enim diligit Filium.**

Ratio etiam suffragatur: Oratio enim non dedecet Christum in celo, neque quia est Deus, cum sit etiam homo. & quia alioquin neque in hac mortali vita orasset: neque etiam quia est beatus, alioquin Sancti non possent pro nobis orare. Imò valde decens & utilis est, cum in actu religionis, valens ad Deum honorandum, & ad impetrandum quod petitur, si expediat. Ergo Christus, etiam nunc in celo existens, verè & propriè orat. Et sanè cum Christus in celo Deum colat adoratione, gratiarum actione, aliis actibus latræ, quidni etiam oratione? Quidni etiam nunc salutem nostram operentur tali medio sibi decenti, nobis utili, & Deo glorioso?

Addo quòd Christus, etiam nunc in celo existens, verè & propriè Sacerdos est, unde sacrificium ejus aternū dicitur: Sed inter alia munera quæ Sacerdoti conveniunt, præcipuum est orare, & preces pro populo Deo offerre: Ergo Christus etiam nunc in celo existens, verè & propriè orat.

propter Deo offert, unde Augustinus in præfat. A
 Pl. Orat pro nobis, & orat in nobis, & oratur a
 nobis. Orat pro nobis ut Sacerdos. Orat in nobis ut
 per nos. Oratur a nobis ut Deus noster. Et infra:
 Oratur ergo in forma Dei, orat in forma servi: ibi
 creator hic creatus.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primò contra primam conclusio-
 nem: Oratio est ascensio mentis in Deum,
 ut ait Damascenus lib. 3. de fide cap. 24. Sed
 Christi mens Deo unita beatificè ab instanti con-
 ceptionis, non potuit de novo in Deum ascende-
 re: Ergo nec orare.

Respondeo Christum, licet Deo unitum bea-
 tificè, potuisse de novo ascendere in Deum per
 actus intellectus & voluntatis inferiores visione
 & amore beatifico, per quos Deo sua desideria
 pro se vel pro aliis proponeret. Sicut Beati in
 celo simili modo pro nobis & pro seipsis orant.

Obijcies secundò: Nemo prudens postulat id
 quod jam scit futurum esse, aut quod jam scit
 non esse futurum; si enim scit futurum, non est
 opus ut postulet. Si non futurum, inutiliter po-
 stulac ut sit futurum: Sed Christus ab initio con-
 ceptionis, per scientiam beatam & infusam sci-
 vit certissimè quidquid erat vel non erat futu-
 rum, saltem quantum ad ea quæ ad ipsum spe-
 cialiter pertinebant: Ergo Christus saltem pro
 seipso non oravit in hac vita mortali.

Respondeo præscientiam Christi nullatenus
 impedivisse utilitatem aut necessitatem oratio-
 nis ipsius, quia præsciebat suam orationem esse
 medium utile, vel etiam necessarium juxta Dei
 decretum, ut essent futura quæ postulabat: pru-
 denter verò postulamus & utiliter id quod sci-
 mus interventu nostræ orationis esse futurum.
 Solutio est D. Thomæ hic quæst. 21. art. 1. ad 2.
 ubi dicit: Inter alia quæ Christus servit futura, sci-
 vit quædam esse fienda propter suam orationem, &
 huiusmodi non inconveniuntur a Deo petiri.

Obijcies quartò contra secundam conclusio-
 nem: Oratio connotat vel includit carentiam
 potestatis plenæ & absolutæ in eo qui orat: At
 Christus morte suâ, & meritis totius vitæ, obtri-
 nuit a Deo plenam & absolutam potestatem di-
 sponendi de omnibus in cælo & in terra, juxta
 illud Matth. 28. Data est mihi omnis potestas in cælo
 & in terra: Ergo Christus nunc in cælo existens,
 verè & propriè non orat.

Respondeo Majorem esse veram de oratione
 ex indigentia, at non de illa quæ fit ex abun-
 dantia solùm, & ex affectu religionis ad Deum
 colendum, eique se submitendum, qualis illa
 est, quam Christus nunc in cælo existens habet.

Obijcies quartò: Christus morte suâ & meritis
 obtinuit quidquid unquam Pater hominibus
 concessurus erat, juxta illud ad Hebræos 10.
 Una enim oblatione consummavit in sempiternum
 sacrificium: Ergo nihil amplius postulac, frustra
 enim peteret quod jam impetravit.

Respondeo, concesso Antecedente, negando
 consequentiam: nam sicut impetratio Christi in
 hac vita, non impedit quominus Deum orare
 debeamus, & Sancti ipsi pro nobis orent, ut per
 huiusmodi orationes Christi merita nobis ap-
 pliæentur; sic neque merita Christi impediunt,
 quin Christus possit orare de novo, & merita sua

per orationem nobis applicare, sicut ea applicat
 per sacrificium Eucharistiæ, per Sacramenta, &
 per alia media: causæ enim generales, requi-
 runt causas particulares sibi subordinatas, in or-
 dine ad speciales effectus.

Obijcies quintò: Si Christus nunc in cælo pro
 nobis oraret, mereretur, quia ejus oratio esset
 digna effectu quem impetraret. Possemus etiam
 Christum orare ut pro nobis oraret, quod ab Ec-
 clesiæ consuetudine alienum est; illa enim nun-
 quam dicit, *Christe ora pro nobis, sed exaudi nos, vel
 miserere nostri.*

Respondeo negando sequelam, cum enim
 tempus merendi ad vitæ hujus mortalis spatium
 Christo æquè ac nobis definitum sit, Christus in
 cælo existens, licet vi orationis possit a Deo
 impetrare, non tamen apud ipsum mereri.

Ad illud quod subditur, dicendum est, quòd
 licet in orationibus privatis possimus Christum
 ut hominem orare ut pro nobis oret, seu oratio-
 nes nostras suæ conjugat, & Patri offerat: in
 orationibus tamen publicis id non licet, quia
 hoc est alienum ab Ecclesiæ consuetudine, quæ
 ad vitandos errores Arii & Nestorii, nunquam
 dicit *Christe ora pro nobis*, nam ly *Christus* supponit
 pro supposito divino, cujus non est orare, sed ad-
 juvare, ut observat S. Thomas in 4. dist. 15. qu.
 4. art. 6. quæstionc. 2. ad 1.

Ex dictis colligitur, Christum nunc in cælis
 in dextera Patris sedentem, duobus modis pro
 nobis orare; primò verè & propriè, divina be-
 neficia pro nobis postulando, ut in secunda con-
 clusione ostendimus; secundò impropriè & in-
 terpretativè; quatenus merita sua & passiones
 Patri exhibet, & vulnerum ostensione, ipsum
 veluti sollicitat ad dandum hominibus id, quod
 dum in terris existeret, pro ipsis meruit; ut ex-
 plicat D. Gregorius lib. 22. Moralium cap. 18.
 his verbis: *Vnigenito Filio pro homine interpellare
 est apud coeternum Patrem seipsum hominem demon-
 strare; eique pro humana natura rogasse, est, eandem
 naturam in divinitatis sua celsitudine suscepisse. In-
 terpellat igitur pro nobis Dominus, non voce, sed me-
 ratione; quia quod damnari in electis noluit, susci-
 piendo liberavit.*

ARTICULUS III.

An Christus ut homo sit verè & propriè
 Sacerdos?

DE Christi Sacerdotio plura dicemus in Tra-
 ctatu de Eucharistia, cum de Missæ sacrifi-
 cio disseremus, unde hic solùm breviter demon-
 strandum est, Christum, ut hominem, esse verè &
 propriè Sacerdotem, & in ejus Sacerdotio plu-
 ra reperiri singularia & mirabilia, quæ aliis Sa-
 cerdotibus convenire nequeunt.

Dico igitur: Christus ut homo, fuit verè &
 propriè Sacerdos.

Probatur primò ex sanctis Patribus, qui Sa-
 cerdotium Christi mirum in modum commen-
 dant: Augustinus enim in Pf. 132. *Quis est Sa-
 cerdos (inquit) nisi unus Sacerdos, qui intravit in
 Sancta Sanctorum? Quis est Sacerdos, nisi qui fuit
 victima & Sacerdos? Nisi ille qui cum in mundo
 non inventret mundum quod offerret, seipsum obtru-
 lit? Fulgentius 1. ad Trasm. cap. 12. Unus
 idemque mediator Dei & hominum homo Christus
 Jesus.*

Christus Iesus; ipse Pastor & ovis; ipse sponsus & sponsa; ipse sacerdos & victima, unus idemque, & oblator muneris, & munus factus est oblatoris, ut nec oblator à muneris qualitate deficeret, nec munus ab oblatoris merito desereret. Similia habet Epiphanius heretici 5. ubi de Christo ait: *ipse victima, ipse sacrificium, ipse sacerdos, ipse altare, ipse Deus, ipse homo, ipse Rex, ipse Pontifex, ipse oris, ipse agnus, omnia in omnibus pro nobis factum.* Bellè etiam Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 9. Christum, Catholicum (id est generalem) Patrem Sacerdotis appellat, vel quia pro universis hominibus se ipsum in ara crucis obtulit; vel quia solus oblationum, donorum, ac sacrificiorum genera omnia Deo repræsentat. Demùm Philo in libro de somniis, Duo esse Dei templa scribit: unum quidem hunc ipsum mundum, in quo Pontifex est primogenitum ipsius Deivinum Verbum: alterum rationalem animam, cuius Sacerdos est verus homo. Ergo ex SS. Patribus Christus est verè & propriè Dei Sacerdos.

51. Probatur secundo ratione: Sacerdos dicitur is qui consecratus est, & publicâ auctoritate constitutus, ut sacra & divina populo tradat, ut preces populi Deo offerat, & sic mediator inter Deum & populum, & denique ut offerat dona & sacrificia pro peccatis, ut docet Apostolus ad Hebræos 5. At hæc perfectissimè conveniunt Christo ut homini: fuit enim ab instanti Incarnationis suæ unctus; non ab hominibus, sed ab ipso Patre, & divinitatis, ac omnium charismatum supernaturalium oleo consecratus; per ipsum etiam divina dona hominibus sunt collata, secundum illud 2. Petri 1. Per quem (scilicet Christum) *maxima & preiosa nobis promissa donavit, &c.* Deo preces obtulit pro populo, & humanum genus Deo reconciliavit. Denique seipsum obtulit Deo in sacrificium, primò in cruce in Eucharistia, per mysticam immolationem sui ipsius, mortuo quodam modo positi sub speciebus Eucharisticis: aut per mysticam (ut alii malunt) separationem corporis sui à sanguine sub speciebus panis & vini, aut per realem (ut alii existimant) productionem sub iisdem speciebus. Secundo cruentè, quando in cruce animam suam & vitam Deo obtulit, ad protestandam supremam ipsius excellentiam, & obtinendam ab ipso remissionem peccatorum nostrorum. De quo sacrificio loquitur Paulus ad Hebræos 10.

52. Quod si quæras, Quomodo Christus in cruce sacrificavit, cum seipsum non interfecerit?

Respondeo Christum verè sacrificasse, quia voluntariè & propriè vi spiritum tradidit, atque à corpore separavit, quem tormenta non poterant illi eripere, si retinere voluisset. Tradidit, inquam, ad protestandam supremam Dei excellentiam, per sui immutationem, in quo consistit ratio sacrificii. Et hoc Christus significavit Joan. 10. cum sic dixit: *Propterea me diligit, quia ego pono animam meam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso.* Et in hoc Christus differt à martyribus, qui quando mortem pro Christo patiuntur, non censentur propriè sacrificare, quia propriè vi spiritum non tradunt, nec à corpore separant, sed talis dissolutio & separatio, vi tormentorum causatur.

53. Porro in sacerdotio Christi plura mirabilia & singularia sunt. Illud enim convenit Christo à primo instanti conceptionis, quo à Patre divinitatis ac omnium charismatum supernaturalium oleo consecratus est. Potestas ejus fuit pontificalis, & suprema, soli Deo subordinata, nulliq;

A alteri cum tanta excellentia & independentià communicata. In aliis Sacerdotibus reperitur solum imperfecta quadam participatiōe Sacerdotii Christi, ratione characteris, in Christo vero, ratione unionis hypostatice, et id est tota Sacerdotii potestas & plenitudo, juxta illud ultimum: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Item Christus (ut ait Concilium Episcoporum) non ita pontificio munere fungitur, ut aliorum Sacerdotum more, externum, hoc est, ad externum sacrificium offerat: sed ipse est agnus, & ipsa est gratissima illa hostia, & spirituale holocaustum, (ut loquitur Ambrosius) Idem Sacerdos, idem altare, & Sacerdotium. Christus ergo secundo naturam humanam fuit non solum Sacerdos,

B sed etiam hostia, templum, & altare: namque humanitas ad protestandam supremam Dei excellentiam fuit immutata & destructa; acque ita Christus secundum illam fuit victima, & hostia; & secundum eandem fuit etiam templum, id est locus Dei cultui specialiter deputatus & consecratus, in quo sacrificium illud peractum est, metaphorâ ductâ ab Ecclesiis & sacrificiis materialibus, in quibus Deus colitur specialiter. Eadem quoque, quoad corpus præcipue, fuit altare illius cruenti sacrificii, quantum sanguine victimæ fuit peritura: quantum etiam crux ipsa, supra quam fuit cæca, convenienter ara dici possit. Denique in hoc Christi sacerdotium aliis præstat, quod cum alia temporaria sint, & solum ulque ad mortem durent, illud perpetuum est, & in æternum duraturum. Unde Pf. 109. Christus vocatur Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Et Apostolus ad Hebræos 7. sic ait: *Alij plures facti sunt sacerdotes; idcirco quod morte prohiberentur permanere, hic autem (scilicet Christus) eo quod maneat in æternum, semper vivens habet sacerdotium: unde et salvare in perpetuum potest accedentes per se ipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Quibus verbis præcipuum perpetuum Sacerdotii Christi causam insinuat & declarat divinus Apostolus, nempe salutem æternam, & celestia bona sine fine semper duratura, quæ per cruentum Christi sacrificium in ara crucis oblatum Beati consequuntur. Quare licet oblatio crucis jam transierit, ejus tamen virtus, & patriæ celestis dona, quæ sunt ejus effectus prestantissimi, in æternum permanebunt. Unde quando Christus Pf. 109. vocatur Sacerdos in æternum, particula illa in æternum, intelligi potest, vel de æternitate à parte post moraliter sumpta, id est usque ad mundi consummationem, quousque durabit sacrificium Eucharisticum, ab ipso oblatum principaliter, per Sacerdotem ut Legatos & Ministros suos; vel physice & in rigore, quatenus semper orabit & interpellabit, potestate sacerdotali, ad obtinendum sanctis varia beneficia, & gaudia accidentalia, atque ad hunc finem applicabit suis precibus sacrificium in cruce peractum. Potest etiam Christus dici Sacerdos in æternum, quia Ministros suos indelebili & semper mansuro insignit & figurato caractere, qui est diminuta sacerdotali ipsius potentia participatio.

C

D

E

Contra hanc conclusionem objici potest: In veteri lege, quæ est figura Christi, non fuit legum Legislator & Sacerdos: unde dicit Dominus ad Moysem legislatorem Exod. 28. *Applica duntaxat fratrem tuum, ut Sacerdotio fungatur tibi.* Sed Christus est lator novæ legis, secundum illud

Jeremie trig. simo primo. Dabo legem meam in visceribus eorum: Ergo Christo non convenit esse Sacerdotem.

Respondeo cum Divo Thoma hic quaestione vigesima secunda, articulo primo ad tertium quod aliqui homines periculatim habent quasdam gratias, sed Christus tanquam caput habet perfectionem omnium gratiarum, & ideo quantum ad alios pertinet, alius est Legulator, & alius Sacerdos, & alius Rex: sed haec omnia conveniunt in Christo tanquam in fonte omnium gratiarum unde dicitur Isaia trig. simo tertio: Dominus Iudex noster, Dominus Legis noster, Dominus Rex noster, ipse stabit nos.

Ex dictis inferes, Christum ut hominem, esse perfectum mediatorem inter Deum & homines. Patet ex dictis de Christo Sacerdotio: nam ut egregie ait Pelusiotus libro tertio, Epistola vigesima. Sacerdotium medium est divinum inter humanam, nec enim ut & illam celas, & huic mutationem in melius affert. Quod factus declarat sanctus Thomas hic quaestione vigesima secunda, articulo primo his verbis: Proprie officium Sacerdotis est: mediato-

rem inter Deum & populum, in quantum scilicet divina popularitate (unde dicitur Sacerdos quasi sacra dans) secundum illud Malachia secundo, legem requirunt de ore eius, scilicet Sacerdotes: & iterum in quantum preces populi Deo offert, & pro eorum peccatis Deo aliquatim satisfacit. Unde Apostolus dicit ad Hebraeos quinto: Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his que sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis. Ergo si Christus ut homo sit verus & proprie Sacerdos, est etiam perfectus mediator inter Deum & homines, juxta illud Apostoli primo ad Timotheum secundo: Unus mediator Dei & hominum homo Iesus Christus. Unde Tertullianus in libro de Resurrectione carnis capite decimo quinto. Hic sequester Dei atque hominum appellatus, ex utroque partu deposito commisso sibi, carnis quoque depositum servat in semetipso, arreborem summa totius. Quem admodum enim nobis arreborem spiritus reliquit, ita & nobis arreborem carnis accepit, & vixit in coelum, totius summe illuc quandoque redigenda. Augustinus libro primo de consensu Evangelistarum capite ultimo: Omnia que in contrarium pergerunt per aliquod medium reducuntur. Ab aeterna justitia, temporalis nos iniquitas alienabat: opus ergo erat media in ista temporalis, que medietas temporalis esset, de immixta & summi; atque ita se nec abrumpens a summo, & contentoribus immixta redderet summo. Ideo Christus mediator Dei & hominum dicitur est inter Deum immortalem, & hominem mortalem, Deus & homo, reconcilians hominem Deo, mansens id quod erat, factus quod non erat. Et Epist. ad Volusianum: Nunc verò inter Deum & homines mediator apparuit, ut in unitate personae copulans utramque, & solita sublimaret in solitis, & in solita solita temperaret. Fulgentius libro primo ad Titianum capite decimo quinto. Quia per peccatum homo fuit separatus a Deo, inter Deum irascibilem hominemque peccantem, talis utique mediatoris debuit intervenire persona, que ad propitiandum Deum homini, totum verumque in se Deum de Deo natum haberet, & ad reconciliandum hominem Deo, totum utrumque in se de homine natum hominem contineret; atque ita ex utraque unus Christus esset ut plenitudo deitatis susceptum non consumeret, sed probeberet hominem, & plenitudo humanitatis nec minoraret immensum, nec mutaret incommensibilem deitatem; ac sic hominis natura, que mutata fuerat in deterius, per illum tota redintegraretur, quo nihil est melius. Propterea se Mediator Dei & hominum, plenum Deum, plenumque dignatus est hominem demonstrare. Gregorius Magnus libro duo-

decimo Moralium capite vigesimo tertio. Ipse ad iura hominem factus homo: ut quia puro homini via redendi non patebat ad Deum, via redendi fieret per hominem Deum. Longe quippe distabamus a iusto & immortalis nos mortales & iniusti. Sed inter & immortalis iustum, & nos mortales iniustos, apparuit mediator Dei & hominum, mortali & iustus, qui & mortem haberet cum hominibus, & iustitiam cum Deo; ut quia per ima nostra longe distabamus a summo, in seipso una ima iungeret cum summo; atque ex eo nobis via redendi fieret ad Deum, quo summo suis ima nostra copularet. Hugo demum Victorinus libro secundo de Sacramentis parte prima, capite duodecimo. Mediatore egit homo ad Deum, ut reconciliaretur illi, & reduceretur ad illum: sed eam dispendium agendum convenienter suscipere non posset, qui non aliqua societate ac pacis amicitia, utrique familiaris atque propinquus existeret. Propter hoc ergo Filius Dei factus est homo, ut inter hominem & Deum, reconciliationis & pacis mediator esse posset. Suscepit humanitatem, per quam a Deo non recederet.

Ex his patet, duobus modis Christum dici mediatorem, nimirum primo, quatenus eius personalitas, tanquam commune vinculum, conjungit duas naturas, divinam & humanam. Quo tenus Tertullianus, Basilus, Gregorius Nyssenus, Epiphanius, Hilarius, & alii Patres, Christum frequenter vocant mediatorem. Quamquam hac ratione, non tam sit proprie mediator, quam medius, per participationem & conjunctionem utriusque extremi, sicut homo est medius inter Angelos & res pure corporeas: mediator enim est nomen officii, non naturae. Unde secundo & magis proprie dicitur mediator, ratione officii intercessoris inter Deum & nos: quod officium (ut recte docet sanctus Thomas infra quaestione vigesima sexta, articulo secundo) Christus exercuit & exercet secundum humanam naturam; illius enim est, & non divinae naturae, discernere & componere causas inter Deum & nos, poenam nostrorum peccatorum in se suscipiendo, & pro illis satisfaciendo de toto rigore iustitiae. Illius etiam & non divinae naturae fuit orare pro nobis, sacrificare, mereri, &c. Necessarium tamen fuit, naturam illam esse hypostaticè Verbo unitam, non tantum quia conveniens erat mediatorem participare naturam utriusque extremi, sed etiam quia ut posset munia illa perfecte exercere, & mereri pro nobis de condigno, ac satisfacere de toto rigore iustitiae, oportuit ut actiones Christi Theandricae, seu Deiviriles, infinitum valorem & dignitatem moralem a supposito divino traherent, ut disputatione quarta, agendo de necessitate Incarnationis & satisfactionis Christi, fuse expendimus. Unde Leo Papa sermone primo de Nativitate. Salvus utriusque proprietate substantia, & in unam coeunte naturam, suscipitur a virtute infirmitas, a maiestate humilitas, ab aeternitate mortalitas, ut quod nostris remediis congrueret, unus atque idem Dei & hominum mediator, & mori ex uno, & resurgere posset ex alio.

Porro quando Apostolus ait, unum esse mediatorem inter Deum & homines Iesum Christum, loquitur de mediatore excellenti, perfecto, supremo & universali, vel ut vulgo dicitur, de mediatore redemptionis, subicit enim imediatè post: Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus: unde possunt esse alii mediatorese secundum quid, & Christo inferiores, inter Deum

reduceretur ad illum: sed eam dispendium agendum convenienter suscipere non posset, qui non aliqua societate ac pacis amicitia, utrique familiaris atque propinquus existeret. Propter hoc ergo Filius Dei factus est homo, ut inter hominem & Deum, reconciliationis & pacis mediator esse posset. Suscepit humanitatem, per quam a Deo non recederet.

Ex his patet, duobus modis Christum dici mediatorem, nimirum primo, quatenus eius personalitas, tanquam commune vinculum, conjungit duas naturas, divinam & humanam. Quo tenus Tertullianus, Basilus, Gregorius Nyssenus, Epiphanius, Hilarius, & alii Patres, Christum frequenter vocant mediatorem. Quamquam hac ratione, non tam sit proprie mediator, quam medius, per participationem & conjunctionem utriusque extremi, sicut homo est medius inter Angelos & res pure corporeas: mediator enim est nomen officii, non naturae. Unde secundo & magis proprie dicitur mediator, ratione officii intercessoris inter Deum & nos: quod officium (ut recte docet sanctus Thomas infra quaestione vigesima sexta, articulo secundo) Christus exercuit & exercet secundum humanam naturam; illius enim est, & non divinae naturae, discernere & componere causas inter Deum & nos, poenam nostrorum peccatorum in se suscipiendo, & pro illis satisfaciendo de toto rigore iustitiae. Illius etiam & non divinae naturae fuit orare pro nobis, sacrificare, mereri, &c. Necessarium tamen fuit, naturam illam esse hypostaticè Verbo unitam, non tantum quia conveniens erat mediatorem participare naturam utriusque extremi, sed etiam quia ut posset munia illa perfecte exercere, & mereri pro nobis de condigno, ac satisfacere de toto rigore iustitiae, oportuit ut actiones Christi Theandricae, seu Deiviriles, infinitum valorem & dignitatem moralem a supposito divino traherent, ut disputatione quarta, agendo de necessitate Incarnationis & satisfactionis Christi, fuse expendimus. Unde Leo Papa sermone primo de Nativitate. Salvus utriusque proprietate substantia, & in unam coeunte naturam, suscipitur a virtute infirmitas, a maiestate humilitas, ab aeternitate mortalitas, ut quod nostris remediis congrueret, unus atque idem Dei & hominum mediator, & mori ex uno, & resurgere posset ex alio.

Porro quando Apostolus ait, unum esse mediatorem inter Deum & homines Iesum Christum, loquitur de mediatore excellenti, perfecto, supremo & universali, vel ut vulgo dicitur, de mediatore redemptionis, subicit enim imediatè post: Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus: unde possunt esse alii mediatorese secundum quid, & Christo inferiores, inter Deum

& homines, ut docet Divus Thomas infra quaestione vigesima sexta, articulo primo. Sicut licet dicatur Matthæi vigesimo secundo: *Vnus est magister vester Christus*, alios tamen ipse constituit in Ecclesia magistros, & doctores, ut dicit Apostolus ad Ephesios quarto. Et licet solus Christus sit lux prima & principalis, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ut dicitur Joannis primo, nihilominus tamen, ipse Christus Apostolos vocat lucem mundi Matthæi quinto, nimirum quia à Christo acceperunt, unde possent alios homines illuminare.

Malè ergo ex hoc Apostoli testimonio Novatores inferunt, nullum alium præter Christum posse pro hominibus apud Deum intercedere: his enim verbis Paulus non excludit plures mediatores intercessionis, sed duntaxat redemptionis, neque contradicit ei quod dixerat ad Galatas tertio, Moysen fuisse mediatorem interventionis inter Deum & populum Israël. Quin etiam immediate ante verba relata, idem Apostolus versu secundo & sequentibus capitis illius secundi Epistolæ primæ ad Timotheum, manifestè docet debere fideles esse pro aliis mediatores intercessionis apud Deum, orando pro illis, idque bonum & Deo gratum esse, sic enim ait: *Obsecro igitur vos primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate; hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro.*

ARTICULUS IV.

An Christus potestatem regiam, non solum spiritualem, sed etiam temporalem habuerit?

CERTUM & indubitatum est apud omnes, Christum habuisse potestatem spiritualem regiam & monarchicam supra totam Ecclesiam, juxta illud Psalmo secundo: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius.* Unde solum difficultas & controversia est inter Theologos, an præter spiritualem illam potestatem, habuerit per se & directè jus regium, & dominium temporale in res omnes creatas, & super omnes Angelos & homines? Negant Franciscus Victoria, Bartholomæus Medina, & alii. Affirmant verò Divus Thomas opusculo vigesimo de regimine principum libro tertio capite decimo tertio & sequentibus, sanctus Antoninus, Turcremata, Durandus, Navarrus, Hostiensis, Suarez, Vasquez, Delugo, & alii, cum quibus

Dico primò: Christum habuisse jus regium directum seu temporale, & potestatem in totum universum, excellenti quodam modo.

Probatur ex Scriptura: nam Apocalypsis primo Christus vocatur *Principi Regum terra.* Et capite decimo nono dicitur habere scriptum in femore suo, id est in humanitate, *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Et Matthæi ultimo Christus dicebat: *Data est mihi omnis potestas in celo & in terra.* Ubi ly omnis non debet coarctari, restringi, aut limitari ad solam potestatem spiritualem sed simpliciter & universaliter distribui, ut loquantur Summulistæ, ita ut omnes (nulla exce-

ptà) potestates, Ecclesiasticæ & politice, complectatur.

Probatur secundo: Cum hujusmodi regium, ac excellens dominium temporale totum universum, sit possibile, & aliunde gloriosum valde & honorificum, nec Redemptio muneri dignitatis contrarium, nec sustentationis humani repugnans, non videtur Christo Domino denegandum.

Confirmatur: In lege naturæ Melchisedech fuit Rex Salem, & Deitammus Sacerdos, ut dicitur Apostolo ad Hebræos septimo, & in lege scripturæ Moyses à Phylone discretissimo Judæorum, & in philosophia Platone, libro tertio de ejus vita Rex, Legslator, Pontifex & Propheta appellatur. Ut ergo veritas figuræ adimpleat, & adorationem Archætyporum perfectè pingatur ecclesiola, debuit Christus Dominus Pontificia limitata Regiâ fulgere dignitate, & utramque institutionem, spirituales nempe, supernaturales & divinam in Ecclesiam universalem, & temporalem in omnes creaturas in se præhabere. Ut Augustinus in Psalmo centesimo quadragesimo nono. *Christus à christinate dicitur esse, id est ab unitate. Reges autem ungebantur & Sacerdotes. Ille vero unctus est & Rex & Sacerdos. Rex pugnavit pro nobis: Sacerdos obtulit se pro nobis. Facundus sicut Hieronimus, Christus solus esse dicit, regnum cum Sacerdotio præhabere; quoniam & si quidam Reges in suis veniunt regem Sacerdotio functi sunt, tamen cum manifestè venit in mundum, umbras removens iuramentum, alteri dedit, quod sibi singulare servavit, sed in dona sua distribuens, sic quæ propria sunt Sacerdotio, Regibus interdixit.*

Potestatem suaderi conclusio ex inveniendi quod sequitur ex ad verba sententia, nempe Christum non potuisse ut hominem præcipere hominibus & Angelis, nisi ea quæ perineant ad regimen spirituale, atque in aliis nos illi obedientiam jure negare potuisse, tanquam limitatos suos transgredienti, si plus præcepisset per possibile, vel impossibile.

Non debet ergo Christo ut homini denegari jus regium & dominativum in totum universum creatum quidem, & à Dei dominio dependens, superioris tamen ordinis, & omnes superantem Regum omnium, Principumque mundanorum dominationes & imperia, tribus maxime prærogativis. Primò origine, quia à Deo immediate descendit, oriturque ex unionis hypostaticæ jurisdictioni verò Regum terræ, aut successione aut electione, aut donatione, aut viariorum limitatur, unde ab aliquo humano titulo dicitur originem. Secundò amplitudine & universalitate Principum terræ dominatio limitata est, dominium verò Christi illimitatum, nullique circumscriptionem cancellis; in Angelos, homines & creatura mirabiliter extensum. Tertio firmitate, & duratione: cetera enim regna ditionum temporalium, ex aliorum quodammodo ruinis erecta, detruuntur, hostilibus incursionibus expugnantur, opprimuntur, ac tandem mutilata paulatim pereunt, aut mutantur in præteritum, Perlarum, Medorum, & Romanorum Regnum autem Christi æternum est, & quo magis opprimitur, magis extenditur; quòd æternum quæritur, eò firmitus roboratur; potestas ejus potestatis æterna quæ non corrumpitur, & regnum ejus erit finis; & quòd magis nova producantur, & homines numero crescant, eò magis ampliat catur & dilatatur.

44. Dico secundò. Licet Christus habuerit jus regium directum seu temporale, & potestatem in totum universum, ab illius tamen exercitio abstinuit, neque ullam penitus temporale regnum admittit: quia non deceat omnino ut potestatem purè civilem exerceret, cum illa, comparatione spiritualis & divinæ, vilis sit; & quemadmodum non deceat ut Rex exerceat in minoræ officia, ad quæ tamen exercenda habet potestatem, ita cum Christus propter fines majores venisset, & omnium maximos, ut sanctificator, ut glorificator, ut redemptor, &c. non decebat ut per se exerceret potestatem purè civilem & politicam. Deinde, exercitium regis potestatis non bene conveniebat cum exemplis patientiæ, pauperatis, humilitatis, & obedientiæ usque ad mortem crucis, quæ Christus in hoc mundo debet exhibere: unde aiebat ipse Matth. 20. *Et si quis vult servare vitam suam, perdat eam, & daretur in redemptionem pro multis.* Habuit ergo Christus potestatem solùm generalem; & divinæ similem, non præjudicantem particulari potestati Regum temporalium, nec ului hujus potestatis circa suum regnum: nam sicut influxus causæ superioris, non impedit influxum particularis causæ, sed magis juvat: ita nec Christi potestatis alicuius & universalius ordinis, Regum temporalium jurisdictionem destruit, sed magis stabilis ac firmat, & florentiorem, diuturniorem, & potentiorē efficit; non enim Christus cepit mortalitatem, qui regna dat cælestia. Unde apud Augustinum tract. 117. in Joan. clamat ad omnes Reges terræ: *Nolite timere, non impedit dominationem vestram.*

45. Ex hoc facile conciliari possunt Scripturæ loca, specie tenus pugnantia, quorum aliqua tribuunt Christo regiam potestatem & dominium omnium rerum, aliterque ipsum fuisse dominum universorum, Regem regum & Dominum dominantium: alia affirmant, ipsum non regnasse in hoc mundo, neque venisse dominari & ministrari, sed ministrare, Joan. 18. & Lucæ 22. Christus enim habuit regiam potestatem, & dominium rerum omnium in actu primo, licet non regnavit temporaliter, neque usum talis dominii habuerit in actu secundo. Ex quo soluta manent omnia argumenta quæ contra præcedentem conclusionem fieri solent.

46. Dices. Si Christus haberet jus regium directum seu temporale in totum universum, sequeretur Summum Pontificem, qui Christi potestati successit, esse regem temporalium omnium mundi regnorum.

Sed negatur sequela, quia Christus non dedit Summo Pontifici omnem potestatem quam habebat, ne spiritualem quidem, cum Summus Pontifex non possit instituire sacramenta, dare gratiam extra sacramenta, remittere peccata absque sacramentali confessione & absolutione, & alia nonnulla Christi singulariter propria.

47. Ex dictis colligitur, Christum non solum fuisse regem, sed etiam legislatorem, cum de ratione dignitatis regis sit potestas condendi leges, unde Mat. 23. Christus legislator simul & rex appellatur. *Dominus legislator noster, Dominus Rex noster, ipse sedit super nos.* Porro sicut regia dignitas Christo convenit cum singulari excellentia, nullatenus concessa ita & potestas legislativa. Primo, quia fuit divina quodammodo, ratione suppositi divini, unde jus ab eo conditum, vocatur divinum à appliciter. Secundo propter excellen-

tiam legum & præceptorum, quæ triplicis generis sunt: quædam moralia de quibus Matth. 5. 6. & 7. Alia sacramentalia de quibus Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Et cap. 6. *Nisi manducaverit carnem filii hominis, &c.* Alia præcepta fidei, Joan. 14. *Credite in Deum, & in me credite.* Marci ultimo, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Tertio, quia per talem potestatem Christus potuit abrogare legem veterem. Quarto, quia fuit amplissima in universum mundum: *Euntes ergo docete omnes gentes, &c.* *Datus est mihi omnis potestas in celo & in terra.* Quinò, quia potuit hanc potestatem Vicario suo impertiri, licet non æqualem communicaverit.

Demum cum hac autoritate legislativa annexa est potestas judiciaria, quam Christus non solum exercet cum singulis hominibus ex hac vita decedentibus, sed etiam cum omnibus in unum extremo iudicii die congregatis, juxta illud Joan. 5. *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* Eiusdem quippe est leges condere, & de legibus judicare quo pacto à subditis servantur.

DISPUTATIO XXIII.

De adoptione Christi.
Ad quest. 23. D. Thoma.

Postquam D. Thomas tribus præcedentibus questionibus egit de his quæ conveniunt Christo, per comparationem ipsius ad Patrem, differit de his quæ Christo conveniunt, per comparationem Patris ad ipsum, quæ sunt præcipuè duo, nimirum adoptio, & prædestinatio, de quibus hic agendum est: de adoptione quidem in hac disputatione, de prædestinatione verò in sequenti.

ARTICULUS PRIMUS.

An Christus, in quantum homo, sit filius adoptivus Dei?

§. I.

Referuntur sententia, & præmittuntur aliqua ad resolutionem questionis necessaria.

Certum & indubitatum est apud omnes Catholicos, Christum ut Deum, seu ut substantentem in natura divina, filium adoptivum Dei non esse, cum fides Catholica doceat ipsum ut sic esse filium naturalem Patris, ipsi consubstantialem & coæternum, subindeque incapacem filiationis adoptivæ, quæ extraneitatem in persona adoptanda præxigit, hoc est negationem filiationis naturalis, jatisque ad hereditatem ipsi convenientis ex vi suæ generatiois. Unde solum difficultas est, an Christo quatenus homini competat filiaris adoptiva? Quod in triplici sensu intelligi potest: Primo, ponendo illum purum hominem, non Deum, quæ fuit hæresis Photini. Secundo, ponendo in illo duo supposita, qui fuit error Nestorii. Tertio, ponendo in illo solum unam personam increatam & divinam, cum duplici natura humana & divina, & asserendo ipsum secundum humanitatem, vel in quantum hominem, esse filium Dei adoptivum. In primo sensu nul-

